

Bibliothèque numérique

medic@

François, André - candidat / Montaigu,
Louis-Cyprien - président. - An à
plethorâ au à communibus
circulationis legibus producuntur
cathamenia ?

1792.

**Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°201**



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0201](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0201)

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA,
AN A PLETHORA, AN A COMMUNIBUS
CIRCULATIONIS LEGIBUS PRODUCUNTUR
CATHAMENIA?

BIU Santé
Médecine
Paris

*ADMINISTRATORIBUS Collegii Æqualitatis, in æternam
gratitudinis suæ memoriam, vovet dicat & consecrat
primitias laboris sui ANDREAS FRANÇOIS, Æduus,
Liberalium Artium Magister, Saluberrimæ Facultatis Medicæ
Parisiensis Baccalaureus, & Alumnus Collegii Æqualitatis.*


. Qui nobis hæc otia fecit
Ille mihi semper erit Deus illius aram
Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.


VIRGIL, Eglog. I.

PRO ACTU PUBLICO,

Ab octavâ ad meridiem.

PARISIIS, ANNO 1792, REIPUBLICÆ PRIMO.





DEO OPTIMO MAXIMO,
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO PHYSIOLOGICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis terciâ mensis
Januarii, anni M. DCC. XCIII. Reipublicæ Gallicæ primo.

M^o. LUDOVICO-CYPRIANO MONTAIGU, Doctore Medico, Præside.

An à plethorâ au à communibus circulationis legibus producuntur cathamenia?

I.

A PUBERTATIS instanti, statuto mensis intervallo periodice cruor epudendis muliebribus fluit; *fluxus menstruus* inde vulgatissime dictus (1) at mirum, quantum ingenia medicorum torserit indaganda hujus phænomeni ratio: hinc nata sententiarum diversitas, eò major, quod res suapte obscuritate sit difficillima vix ullorum, figmentorum avida, quieverit imaginatio, & sua unique placent.

II.

VETERES voluerunt menstruas, lunæ influxui obedire, itaque hujus astrologici sistematis acerrimi deffensores fuerunt Avicenna, alique arabes, qui calculo mixti contendeant, juniores ineunte lunâ, medias mediâ phæbe, vetulas vero jam decedente lunâ menstruari alii ducibus chalmetone, Graffio & Draakio, asserunt. menstruas oriri ex fermento æconomix muliebri peculiari; quod fermentum juxta Draakium residet in bile vesiculari (2) Boherravius autem Freindius, Hallerus, omnes que recentiores, cûm Hippocrate & Aristotele, voluerunt fluxum menstruum oriri à plethorâ essentiali, ex nutritionis superabundentiâ, paulatim accumulâtâ in vasculis sanguineis, valvulis carentibus uteri. Multiplicibus objectionibus obruit illud sistema V. G. quare abundantes phlebotomix vix suppleant suppressis menstruis, cur toties *scitâ ante menstruarum tempus*

(1) Multiplici nomenclaturâ insignitur fluxus menstrualis, græcè dicitur *πρὸς γυναιχείων καθαρίσις, μενοπαύσις*, Latine mensis fluor muliebris menstrua, purgatio septimanæ rubræ galicæ. *Regles ordinaires, mois*. Vid. Freind. Emmenalog.

(2) Draak, Antropographiâ.

(a) Hoffm. *venâ vulgò compertum est liberiores eorum fluxum fieri* : Frederic Hoff. (a) quare viragines (plethoricae sanè), vix menstruantur, dum è contra copiosis menstruis, imò quidem hæmorrhagiis uterinis, vexantur sæpius imbecilliores; & ex succæ quasi mulieres. An tam periodica plethora, cur mæror, timor, frigus, quibus perspiratio minuitur, ideoquè plethora augetur, tamen purgationem menstruam sæpè

(b) Vide Diar. *supprimunt* aſt D. Lecat (b) myrto coronatus causam determinantem menstruas oriri docet ex *phlogofi amatoriâ* (3) quæ vocat *aduterum sanguineam* & quasi inflammatoriam collectionem.

Non fluunt menses in pueris, quia nundum exundis emerſit venus, ceſſat adveniente ſenectâ, quia gelida ſenectus nudos congelat amores, quamvis dicat Horatius *nec veſpero ſurgente decedunt amores*, non tam periodici menses, certè non tam periodicus eſt inconstans veneris puer juvenus eſt ætas voluptatem ideo menstruarum ſed poſſet reſpondi D. Lecat cum riolano : *ergo è medio fonte leporum ſurgit amari aliquid quod ipsis in floribus angit* (a).

(a) Riol. filii, antropographia.

I I I.

TOT lites inter viros tam clariffimos obortas, nobis componere poſſe non confidimus, probè conſcii, quid valeant humeri graciles noſtri quid ferre recuſent. Sed tantum unico veritatis amore perciti nil dictum erit niſi quod rationi imaginationique noſtræ magis arridebit.

Non omnibus unum eſt
Quod placet hic ſpinas colligit ille roſas
Hic labor hinc laudem fortes ſperati coloui.
Virg. Georg.

Itaque ſeorſim dicemus, 1°. de anatomia uteri; 2°. de cauſâ determinante fluxum menſtruum; 3°. de ejus natura & periodicitate, nec non terminatione; 4°. de ejus aberrationibus aliisve quaſitis vel obſcuris.

I V.

UTERUS eſt pars in fæmineo ſexu reperiunda, veſicam inter & inteſtinum rectum; intuſcava, pyrum aliquomodo compreſſum figurâ æmulans, magnitudine variâ, pro diverſâ ætate, prout, venere vel uſa eſt, vel abſtinuit mulier. In uxoratis, præcipue matribus, grandior eſt quam in virginibus. Longè notabiliorem quoque molem obtinet in gravidis, nec tamen eſt minùs craſſa (4) at in vetulis, maximè contractata. Dividitur in fundum latiore, ſuperiorem; ab omni connectione arctâ liberum & cervicem anguſtiorem, veſicæ inteſtinoque recto cohærentem. Terminatur orificio, cujus labia tranſverſim poſita, hiant paulatim: vocatur autem hoc orificium gallicè (*muſeau de tanche*) decidit in magnum uteri ductum ſeu vaginam. Totam hanc molem veſtit membrana è peritonei duplicatura quæ ad partes laterales producta & expaſa nomine ligamentorum latorum inſignittur (5). Ex parte ſupernâ laterali infra tubas fallopianas, proſiliunt duo ſaf-

(3) Quid ſimili puto jam ſcripſerant Terenzoni, Vieuſſens & Taurvy, ſed ſimpliciter dicebant menses oriri à fermentatione putridâ incipienti, quam D. le Cat, cauſam vindicat ſuâ amatoriâ.

(4) Graaf Dewenter, Heiſter, Morgagni, Levret, Beaudeloque.

(5) Vid. Morgagn. adverſat. 4. p. 49.

ciculi subrotundi, lacertosi, qui annulos musculorum obliquorum permeant, & exin descendendo disperduntur in partes externas pubis, vocantur autem ligamenta rotunda (6). Uteri substantia vasculosa est, quasi spongiosa, cellulosa, fibris carneis diverso sensu reticularem in modum ordinatis; intrâ ejus interstitia, membranulæ moles, videntur fulcire sinus, sinus amplos, fluxuosos, in gravidis certè conspicuos; secum in vicem communicantes, cum arteriis & venulis, quod probat injectio flatus & compressio uteri mortuæ menstruentis (7). Uteri interiora versus fundum, scatent foraminulis, vasorum peculiarium fortè orificiis. Cæterum apparatus externo penè similis, superficie aspera est, rugis assurgentibus transversim, valvulas æmulantibus, quas inter, lucinæ & folliculi mucosi observantur. Hæ autem rugæ confici videntur, ex duplicatâ membranâ interiori subtilissimâ proflissimâ & versus fundum lævi. Cavitas autem uteri triangularis, cujus inferior angulus vocatur collum. Superiores autem duo accipiunt orificia tubarum. Vasa habet uterus, copiosissima sanguinea & lymphatica (8) sanguinea scilicet ex hypogastricis spermaticis siquidem nonnullos accipit ramos ab hæmorrhoidalibus (9). Arteriæ uterinæ secum omnes communicant miris anastomosis, venæ arteriis correspondentes valvulis carent. Lymphaticâ cum inguinalibus conjugata (10) ad commune pequetii centrum tendunt nervi autem uteri sunt è sympathicis lumbaribus & sacris.

V.

VAGINA collo uteri adnascitur, obliquè vesicam inter & rectum quibus arctè cohæret, descendit terminatur sphinctere qui hymene membranâ in virginibus, in mulieribus autem carunculis myrtiformis angustatur. Canalis amplus est, substantia membrano carnea, intus aspera, præcipue in virginibus, assurgentibus rugis interquas observantur papillarum series plus minùsve distinctarum & lacunæ satis crebræ, quæ sunt præparata orificia vasorum excretoriorum glandularum Cowperii. Vasa omnigena sunt in vaginâ sed pauciora quam in utero; arteriæ ex hypogastricis & hæmorrhoidalibus. Venæ congeneres. Hæc vasa communicare cum uterinis satis superque notum est, nervi numerosi è sacris & è sympathicis oriuntur.

VI.

OBSERVANDA.

1°. VASA uteri sanguinea quæcumque, hiant in sinus uteri, descriptos, n°. 4, vel foraminulis suis immediate aperiuntur in fundo uterino. Aorta descendens major est in mulieribus quam in viris ergo major esse debet pressio sanguinis in inferioribus partibus.

2°. In cadaveribus mulierum quæ durante fluxu menstruo perierant, reperiuntur uterus crassus tensus, ejus vasa turgida & leviter pressa fundentia humorem incavo uteri poris sensu obviis (11).

(6) Gasp. Bauh. Lieutaud in hest. Winslow.

(7) Maipighi de utero, Winslow de abdomine littrius grauf mauriceau, Levret.

(8) Vinesl. nov. sist. vas. lymphatæ. p. 2.

(9) H. Bartol. p. 165. Bohern. phys. n. 664. nec mirum inde si toties menstruis hæmorrhoides suppleant.

(10) Mascagni descrizione de gli vasi linfatici. v. prodiome.

(11) Littré act. Académ. ann. 1730. p. 20. Dionis. Barthol. Anatom. reforme. p. 162.

3°. In mulieribus uteri prolapsu laborantibus tam notabili ut adusque vulvæ marginam descendisset, semper deprehitur ex uteri cavitate solâ menses prodire (12).

4°. Experimentiâ certissimâ omni curâ practâ in variis subjectis (13) constat, mulierem non minus penderare post menses quam antè. quod evertit opinionem freindii qui supponit inter binas periodos gradatim notabilem cescere plethorâ; confidens sanctorio asserenti, quod in mense corporis humani pondus ad unam binamve libram augeatur: & tabulæ Keilianæ & experientia, hujus inanditi incrementi falsitatem demonstrant. Quot præterea varietates inducunt temperamenta ætas loca cupidines morbi victus consuetudines.

5°. Cessat incrementum corporis, non quia rigidior sit fibra quam ut extendatur, nec minuitur vis elongans, sed quia pervia jam omnia vasa appulsu sanguinis, & vires cordis non ampliùs sollicitant ut videre est ex immutatione velocitatis pulsus cum crescere desinivit animal (14) cujus doctrinæ veritas confirmatur ex immensâ mole quam obtinent quandoque obstructions.

V II.

EXPLICATIO SISTEMATIS NOSTRI.

(a) Ne excepto
quidam sm.
sone vid. theo-
ry of womb.

QUI hûc usque menstruarum causas expandere voluerunt (a), solam sanguinis copiam aspexerunt, & dixerunt menses esse hæmorrhagiam passivam (15). Solidorum tonum negligentes sic & eorum elasticitatem, & motum circulationis solitum: plethoram modo localem modo universalem quâ vasa rumpebantur prædicabant.

V III.

AT putamus nos menstruarum causam efficacem reperiri, in motu circulationis solito, qui semper tendit ut perviora reddat vasa, quorum resistentia & elasticitas major minorve sit obex quovires cordis plus minusve excitantur; ut notum est ex theoria circulationis. Et enim vasa uteri debilia, flexuosa, beantibus quasi orificiis donata in sinibus uteri superiùs descriptis admittunt sanguinem ut cæleræ partes sed cum dilatationi capaces sint flexibus quæ retardata circulatio, faciliùs à sanguine appellente, dilatatur, beant, labiturque sanguis in sinibus prædictis usquequo sint satis dilatata, quam ut distendent fibras quasdam motrices textus reticularis uteri, quæ fibræ in se redeunt (16) comprimunt sinus & dephuit sanguis in cavo uteri pedetentim vacuantur. Tunc propriâ elasticitate in se redeunt paulatim vasa & ex iis primo minus rubrum tandem nil exit nisi lymphaticum quid exhalans quod omnes corporis cavitates irrorat. Nisi quando de nova dato temporis intervallo dilatata iterum fuerint uteri vasa impletique compressique sinus. Si quæsi verit cur statuantur limites, dilatationi & contrac-

(12) Litt. ibid. Morgagni. Hist. compend. Anatom. p. 310. Winslow de abdomine Graaf. Hygmor. Vanswieten. p. 350. t. 4.

(13) Salmonis thes. de flux. mulieb. epistola Lamurii ad salmonem Mospelii 1745.

(14) Symptom the sistem of Womb.

(15) Hemorrhagia activa ea est, quæ aucto circulationis motu vel tono solidorum pellit extravasa sanguinem passiva autem ea est quâ solito motu aperto vel à tonico facto vase labitur sanguis.

(16) Huic sistemati nostro arridet sequens. Hipp. locus, cum menses apparituri sint, os uteri sese magis ac alias contrahit. Vid. de superfetatione & natura muliebri.

7
tioni vasorum & sinuum urerinorum hic quaeso velit exponere cur in sistole non omnino vacuentur arteriæ, & citò succedat diastole toto vitæ curriculo.

I X.

ACTIVA haberi debetur menstrualis hæmorrhagia, quia solidorum resistentiâ, augetur circulatio; & eorumdem solidorum reactio sanguinem exprimit. Actio illa tonica fit sensibilis pulsui & en descriptio pulsus jam jam menstruaturæ (a). (a) Borden, solano dū u- que mēueret.
pulsus ille est plerumque magis expansus, & elevatus quam antea, simul est inæqualis & dicrotus (17), licet nec adeo frequenter nec tam distinctè percipiatur ac in nazali. Videtur enim arteriam tempore diastoles, non bis ferire digitum in eodem arteriæ puncto, sed successive in duobus diversis punctis.

X.

HOC sistemate nostro facile omnia menstruationis phænomena explicantur. Nec necessarium est ampliùs admittendi menses non fluere, nisi quando corpus ad *ακμήν* seu perfectionem suam perventum plethorâ turget. Quod aliter fieri sciunt omnes. Nam quot quotiesque puellæ notabiliter crescunt post primam mensium apparitionem. Apparent autem menses, quando jam evoluta sunt uterina vasa antea complicata & ferè pulposa. Id probatur excomparatione adolescentum, qui jam puberes crescunt pubescunt autem cum evolvuntur penis & testium vasa (18).

X I.

CUM in urbibus victu lautiori, cupidinibus, & forte acutie ingenii (19) sic & in calidioribus regionibus igne virifico vel temperamento acerbilioso augeatur vis circulationis. En ratio quare his in locis à decimo quondòque anno menstruantur puellæ, etsi nostris in regionibus raro antè decimum tertium solito fluor muliebris appareat; dum viragines rusticanae, laboriosæque mulieres quarum fibræ rigiditas virilem penè æmulat, ferilius & vix menstruantur. Etenim robustæ illarum fibræ dilatationem vasorum ægerrimè permittunt. Contrà verò delicatæ mulieres copioso menstruali fluxu vexantur. Imò quidem debiles & ex succæ, multò sapiùs ac aliæ hæmorrhagiis uterinis affliguntur. Atonica enim earum fibra contractionis incapax, sinit fluere sanguinem, cujus appulsui resistere nequit. Nam lenta hæcticaque febricula eas urit plerumque. Verum enim verò cum pedetentim, & gradu frigore glacie stipticisque injectionibus & fomentis vires tonumque parti restitutæ fuerunt. Sistitur hæmorrhagia (20). Ex his defluit quare equitatio, insolita exercitatio subita lætitia (21) electricitas mercurii inunctiones citando sanguinis motum menstrua excitent. Videre est etiam quare matrimonium tam profit frigidis chloroticisque Puellis. Coitus enim voluptuosum ere-

(17) Dicrotus pulsus dicitur quando arteria bis successive ferit digitum ineodem puncto.

(18) Vid. Haller, Element. Physiologiæ.

(19) Sic celsus de sanitate tuenda *Philosophia ut animo proficua sic & corpori noxia.*

(20) Ex his noscitur quam prudenti manu dari debeant calida emmenagogæ mulierculis v. g. rhuta fabina ferrum arthemissa vinum.

(21) Lætitia quæcumque de causâ fiat auget circulationem & perspirationem ideo meatus redduntur cavi sanct. aph. 19 sect. 7.

tissimum muscularemque succum excitat quibus augetur circulatio contractilitasque uteri evigilatur; nam dictum sit per tanfennam, meretrices aliasque libidinosas nimis foemina rarius concipere ac alia; quia nimis contractus eorum uterus semen accipere nequit. Facile etiam ope sistematis nostri intelligitur quantum difficile periodos habent suos histericæ mulieres quarum fibra semper spasmodicè tenditur & quare tunc balnea phlebotome (22) emollientia & anti spasmodica toties prosint (23).

X I I.

Ex hoc sistemate nostro unico de fluit quare puellulæ interdum menstruentur à primâ infantia. Sic legitur (24) puellam octiduo post ortum menstruatam fuisse; sed cum vix quartum attigerat annum partes genitales & mammae eodem modo se habebant ac in virgine octodecim annorum. Clarissimus Vantwieten affirmat se pariter vidisse infantulam à primo vitæ mense cathamenia habentem. Tunc sanè vis activa naturæ irritabilitas forte à sodali meo Belot tam prædicata, primo vasa uteri aggreditur antequàm aliis partibus attendat. Pariter in decrepito senio perstant adhuc fortunâ menses quandoque cum solito laxior fibra liquidioresque humores nundum oblitteraverunt nec obstruxerunt vasa. At menses aliquando in proreptâ senectute fluere multis auctoritatibus probatur sic enim puerarius Genevensis Medicus Thomæ Bartolino scripsit: *mulier octogenaria aduobus circiter annis menstruas purgationes patitur ὡς ἄνδρες* (a) *cum sanitates commodo & εὐφρία* (b) alibi legitur centesimo ætatis anno menstruas cessatas iterum fluxisse Acad. Scient. ann. 1708.

(a) Ordinatè.
(b) Facilita.
vid. tb. Barth.
epist. medic.
cent. 4. p. 432

X I I I.

CUR non fluant menses in gravidis id luce meridianâ clarius est in orificiis vasorum prædictis, n°. 4, implantantur placenta radícula cætera alia membranis fœtus obturuntur. (25). Cum autem in vasto utero continetur parvulus fœtus libera adhuc vasa sanguinem ut solito fundunt, eni puto explicatio menorrhagiæ advenientis quandoque in principiis graviditatis, at grumosis sanguis vasaque & sinus distenti in utero gravido toties reperti lochiæ tandem sanguinæ nostrum sistema probant satis. Sponte decurrit etiam è nostris principiis quantam periodici menses in benè valente muliere, quare auctâ circulatione citatur evacuatio periodica, quare minutâ retardatur cur mærore terrore frigore supprimuntur cathamenia cur lætitia aromatibus coïtu exercitatione excitantur. Quâ de causâ demum adveniente senectute terminantur at cum unus quisque periodus cessationem approximet. Potesit applicari. Prudentii carmen: *spharam ruina menstrualis destruet*, etenim ex unâ essentiali æconomiz animalis

(22) Si sæpius venæ sectio mensium apparitionem faciliat ut docet experientia & locus Hoffmanni citati n°. 2. id sit quia tanquam ex optimo antispasmodico detenditur fibra vasorum & tunc faciliè per patentem viam fluit cruor.

(23) Æther laudanum moschus camphora castoreum gummi sætidi.

(24) Acad. Scient. 1708. p. 52.

(25) Non autem ut aiebant veteres quia sanguis menstrualis sit alimentum fœtus. Vid. Alb. magin de secret. mulier. quæ contradictio hunc sanguinem quem venenum habebant salutare esse alimentum tenelli fœtus prædicebant.

lege notum est humidum paulatim dissipari, fibrâ rigescere & vires circulationis minui. Tunc vires agressionis minuantur dum augetur obstaculum & causa cessationis menstruarum faciliè reperitur in obliteratione vasorum uteri quæ rigidiora ossæque quasi facta debiliore sanguinis columnæ meatum agerrimè primum, dein omnino non permittunt. Ex hac luctâ oriuntur distensiones fibrarum uteri unde tot hysterici morbi, quos toties juvare non valet missio sanguinis tam celebrata, nisi quando tanquam anti spasmoticum jubetur, nam à distentâ fibrâ omnis dolor.

X I V.

NEC difficilior superest explicatio symptomatum cathamenia jamjam eruptura nuntiantium præter pulsus superius descriptum, n°. 8, lassitudines experiuntur ex eo quod major fluidi nervei copia impendatur cordi cujus actio augetur. Ideo minor pars musculis distribuitur dolores lumbores uteri distensione; pondus circa has partes ex auctâ liquidi quantitate in uterinis vasculis color, rubor, pruritus, ex aucto attritu circulationis citata producuntur. Cephalagiæ, nausææ à nervosis conjugis explicantur. Tumor mammarum, præter anastomoses hippogastricarum & mammarium internarum arteriarum à clarissimo *Bertin* (26) prædicatas, oritur ex eo quod numerosis lymphaticis vasculis communi receptaculo fertur major lymphæ copia in ratione abundantioris sanguinis appellentis tunc difficilior admittitur lymphæ ex aliis partibus adveniens tument ergo glandulæ sinus aliæque eodem mechanismo ac tument inguinales glandulæ post pediluvium posset addi sympathica irritatio.

X V.

NON erumpunt menstruæ solito ante pubertatis tempus quia antea organa generationis pulposa & mucosa sanguini imperviasunt. Solæ mulieres Norwegiæ & Laponiæ hoc fluxu liberantur: ut affirmant Von-Linnée (a), & Olaius magnus (b). Quocirca prodeunt eo citius cessant. Id fit circiter versus annum quadragesimum quintum prodèunt menstruæ nubilem nuntiant virginem cessatis autem conceptioni ineptus fit uterus (27), intervallum periodorum est quatuor hebdomadam 30 vel 32 dierum in muliere bene valenti. Fluxus vero 3 vel 4 dies perdurat protrahitur aliquando usque ad 7 dies, ultra fit morbus. Quo ad quantitatem sanguinis hoc medio evacuati, mira est auctorum dissidentia quæ posset explicari forte, ex consideratione locorum in quibus vivebant scriptores illi. Hippocrates enim qui in callidâ græciæ regione medicinam gerebat & docebat. Æstimavit quantitatem fluxus menstrualis, ad duas *heminas atticas* κοῦλας, id est viginti quatuor uncias ponderum nostrorum. Astruchius, qui Monspelii scribebat ad sex decim uncias Hippocratis dictum reducit. At freindius plethorista systematis sui amore cæcatus, putavit nil nimis dixisse, superfluum evacuatam menstruis ad uncias vigeni æstimando. Observandum est tamen, freindium medicinam præcassè londini quâ in regione phlegmaticæ mulieres otiosæpleræque potibus calidis abutuntur præsertim thea nec mirum si copiosis laborant

(b) De re
Boeali.
Vid. not. pr.
n.º 12.

(26) Vid. Mém. de l'Acad. des Sciences. Ann. 1747.

(27) Non concipiunt quæ uteros siccos habent. Aph. 55. sect. 2.

menstruis recentiores vero Boherravius, Vanswieten, Haller, Dehaen dicunt, solito a tribus ad octo uncias sanguinis ad magis periodo evacuari. Sic enim Dehaen (28) « accidit non nullas mulieres menstruo tempore tunc uncias sanguinis » admittere, semi libram raro, nullas autem uncias decem evacuare nisi defectu quodam » uteri aut morbo laboraverint. » Ex hic tamen fanitas mulierum ut ait medicinae princeps « a menstruis copiosioribus morbi, at non prodeuntibus ab utero morbi accidunt (29). » Sed quare post talem evacuationem certe constat non minus ponderare ac antea mulierem. Id fit sane a minutâ perspiratione, cujus pondus sanguinis ponderi supplet ut aphorismate sequenti sanctorii docetur. « Quid libet sit » corporis dolor sive labor, coeli perspirabilis transitum impedit (30). » Sanguis autem menstrualis purus & innocuus, & si scripserent Plinius, Columella, & Albertus magnus. Sic fatur princeps cois « prodit autem sanguis, qualis ex victimâ, cito » que concrevit, si sana est mulier. Hipp. de morb. mulier lib. 1. c. 9. » Menstruæ autem sunt flores quæ arborem fructiferum nuntiant. Scitur enim post fluxum, conceptioni aptiorem fieri uterum; & viragines quæ parcius menstruantur, raro concipi. Ideo inter vetularum fabulas mittenda sunt sterilitas plantarum, rabies canina, morbi penis, mors erucarum, a sanguine ortis (30), ut contra a quibusdam tanquam pharmacum prædicatum fuit. Nec dedignatus est ecclesiæ romanæ princeps, cardinalis Dubois, primam ex hoc sanguine purpuram induere, quot etiam infames libidinosi lamb. Sed talia scribere penna recusat.

. Pulcra laverna,
Da mihi discere, da pulcrum sanctumque videre
Tu nox peccatis & fraudibus objice nubem
Nuda recede cotyto, tuus non iste libellus.

X V I.

SUPERVACANEUM foret sane evolvendi late cur mulieres non autem viri menstruis laborant. Id fit a varia constructione Viri enim utero carent; & si quidam, periodicam evacuationem V. G. Nazalem, hemerroidalem experti fuerint, hoc raro inordinate que evenit. Et sane errore naturæ in debilibus subjectis, parum per spirantibus, & ad naturam mucosam muliebrem tendentibus valde (31).

(28) De Haen ratio medend. p. 4. c. 6. pag. 204.

(29) Hipp. Aph. 57. sect. 5.

(30) Sanct. med. Stade. aph. 49. huic loco debetur addj. Hipp. seq. aph. *Auctâ enim secretionem aut excretionem cætera minuitur.*

(31) Sic Columella indicat optimum remedium contra erucas si menstruant, nudis pedibus apertofina resolutis quæ capillis ter circum itet hortum tunc.

. Mirabile visu
Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus,
Vel teretis malis vel testâ cortice glaudis,
Volvitur ad terram, torto corpore campe.

Columell. de re rusticâ. lib. 9. 357.

Hos etiam viros (32), *menstruantes*, ridiculo nomine cum græcis *Empedocles* vocavit *γυναικῶν ἀνδρες* latine *uxorios*.

V X I I.

MULTIPLICES ad sunt rationes quare animalium foeminæ non laborent menstruis, præter laborem, & exercitationem, quibus roboratur fibra earum. Varja fabrica, firmior que constructio uteri famellarum brutarum (33), vetant ne appareant illis menstrua. Præterea horisontalis illarum situs sit ut pressio sanguinis vasorum latera urgeat, non autem orificia; nec mirum ergo, si simias quæ humanam constructionem fere ad æquant sapius quæ ac cætera animantia erectæ stant, & ambulant. Fluxu quodam menstruo, quandoque affectas fuisse (34); at cum menstrua a natura instituta videntur tantum ut conceptioni uterum præparent, non stupendum est si quidam fluxus stilletur evulvâ omnium foemellarum, cum oestro venereo agitantur. Id notabile est præcipue in jumentis de quibus virgilius dixit (35).

Hinc demum hippomanes, vero quod nomine dicunt
Pastores lentum destillat ab inguine virus
Hippomanes, quod sæpè malæ legere novecræ,
Miscueruntque herbas, & non innocua verba.

X V I I I.

EXPERIENTIA constat legiturque apud plures auctores menstruas impeditas, per heteroclitas vias erupuisse: sapius autem per hæmorrhoides pulmones & nares; unde hippocrates docuit in aphorismis. « *Menstruis deficientibus sanguinem* » ex naribus fluere bonum. » Per oculos & aures menstruas fluere vidit Skenkii (36), per gengivas, alvum, mammas pareus (37), & Galenus (38), per cutem illæsam mercatus (39), ipse ego vidi uxorem amici cujusdam mei cujus menstrua sub hæmoptoes forma prodibant. Hæc autem quæ aberratione naturæ fieri videntur, explicari possunt ex nostris principiis. Cum enim in superabile obstaculum vetat ne erumpant sanguinis turgida vasa uterina novam sanguinis copiam admittere non possunt. Tunc sanguis qui per arterias spermaticas & hypogastricas, utero quovis circulo deferri solet per laterales ramos & anastomoses alibi vehitur & massæ sanguinis redditus plethoram quoad vasa causat. Obstaculo nato excitatur vis cordis & tunc per vasa perviora, debiliora, valvulis

(32) Vid. Benivenium & Marcum donatum de medic. hist. Mirab. lib. 1. c. 2.

(33) Vid. Riolan. de homin. procreat. c. 7. p. 108.

(34) Id probatur ex anatomia comparatâ, vid. Haller, Vicq-d'Azyr.

(35) Buffon, hist. nat.

(36) Georg. lib. 3. v. 279,

(37) Skenkii, observ. medic. lib. 4. p. 635.

(38) Lib. 24. c. 62.

(39) De locis aff. in homine, lib. 6. c. 1.

(40) Mercatus de mulier affect. Lib. 1. c. 7. p. 269.

carentia impetum facit turgens cruor. Hic memoriæ revocandum est quories & cur tot phtises pulmonales nascuntur tempore primæ, laboriosæque menstruationis.

Ergo a communibus circulationis legibus oriuntur cathamenia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>ROZE, Chirurgiæ gallico idiomate Professor, in ann. 1789-90.</i>	<i>PETIT-RADEL, Chirurgiæ gallico idiomate Professor.</i>	<i>DESCEMET, Chirurgiæ gall. ed. ann. 1763-64, Physiologiæ & Patholog. an. 1769-71. Chirurgiæ l. t. id. an. 1772-73 Professor.</i>
<i>BOURDIRR.</i>	<i>DESFONTAINES.</i>	<i>DANIÉ, Artis obstetriciæ ann. 1761-63, Chirurgiæ gall. id. ann. 1763-69 Professor.</i>
<i>DE MONTAIGU.</i>	<i>LAVERNE, Artis Obstetriciæ ann. 1786-88. Professor, Physiologiæ & Pathologiæ Professor in ann. 1790-92.</i>	<i>VACHIER, Physiologiæ & Patholog. an. 1767-69 Professor.</i>

Proponebat ANDREAS FRANÇOIS, Æduus liberalium artium Magister
Seluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

Nota. Et si cum simsoniano sistemate analogiam quamdam primo aspectu habere videatur hipotesis nostra, pluribus essentialibus punctis ab illo differt. Etenim simsonius passivam vult hæmorrhagiam menstruarum nos vero activam. Simsonius neglexit vim contractilem uteri; & oblitus sane sinuum uteri docuit sanguinem immediate è beantibus vasorum orificiis in cavo uteri depluere; quidquid ex eo aliisque auctoribus collectum fuit. Notulâ & italico caractere indicatur, cæterum.

Primitias dedimus quas aoster agellus habebat,
Quales extenui rure venire solent.



Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1792.